



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Docilitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A hieroglyphici figmentum respexisse mihi videtur Ovidius eodem loco, quem supra citavi.  
mus:

*Si quid erit de me tacita quod voce loquaris,  
Pendeat extrema mollis ab aure manus.*

## FUTURUM OPUS, VEL QUID AGENDUM.

CAP. XXXVI.

Est & futuri operis indicium auris ad audiendum intenta, ab ejus dubio procul officio, in quo est *Vel arrepta* rei quædam formula. Auscultatio enim initium est & imago quædam operis quod aggressuri sunt. *ωλκ. σω.* mus: eoque spectant numismata tot cum inscriptione, ADLOCUTIO, in quibus milites obversis in- *σιν.* tentisq; aditare auribus conspiciuntur.

DOCILITAS. CAP. XXXVII.

B Illa vero quæ de figura aurium à Physiognomicis traduntur, docilitatem, benignitatem, mansuetudinem ex auribus extantibus significare, faciunt quidem ad eorum doctrinam, sed ad negotium nostrum parum afferunt utilitatis.

INDOCILITAS. CAP. XXXVIII.

Perinde ac etiam pressas aures, & simiarum instar temporibus adhærescentes stuporis & imperitiæ, quæ doctrinam nullam admittant, signum esse perhibent: quæ si quis in hieroglyphicorum usum trahere voluerit, integrum unicuique dicimus, suo jure ludere.

## DE LINGUA. CAP. XXXIX.

Sed ut ad linguam convertar, jam res exigit, quando quidem quod superius Urbanus de oculo linguæ subiecto ad perfectam sermonis rationem indicandam dixit, alterius ab eo non alieni admodum hieroglyphici. Lingua hæc, est manu prætenta. Nam qui per linguam sermonem articulati voce coargumentatum intelligebant, adjecta manu quæ illam comprehenderet, eloquentiam significabant. Sane quidem Hebræi per Lafon, quæ lingua est, sermonem intelligunt, ut forte *λαλειν* Græcis. A Dico verbo nimirum Latini Diguam olim appellavere, inde D litera in L mutata, Æolum more, Linguam fecimus: ut etiam Sellam, quæ prius à sedeo, sedda dicebatur. Ajunt tamen Grammatici veteres, Pompejum Magnum Diguam semper scribere solitum. Esto igitur sermo lingua, verum pronuntiatio manu, hoc est, artificii ope indiget, ut in usum deducatur, & appareat eloquentia. Nam manum operis esse symbolum unicuique manifestum est. Quicquid vero vel in judicando, vel in demonstrando, vel in deliberando contingit, nequaquam solo cogitationis termino continetur, sed in actione ipsa perficitur. Opus autem facere cum sit proprium manus, & ab ea prærogativa, potestatem etiam indicet, non absurde linguam manu rectam affinxere, in eloquentiæ significatum: quæ quidem, ut Maro canit, *regat discis animos, & temperet iras.* Speciem eam in aliquot obeliscis observas. Privatim vero manum quæ linguam comprehensam tenet ex marmore vetustissimo, ex aliqua statua nimirum avulsam, apud Vivem Hispanum Pontificum medicum Romæ Fufcus frater *En libr. 1. Manus linguam tenens.* conspexisse fatebatur. Sed ut ea, quæ ad hanc rem pertinent prosequamur, non improprio quorundam invento excogitatum est, hanc dicendi vim per linguam perforatam, à qua catenulæ quamplurimæ religatæ ad aures subsequenti multitudinis applicarentur, significare. Nam Herculem Galli *Ibidem tributum Mercurio.* fenem admodum, corpore tamen prævalido, crudo, viridique faciebant. Leonis spolio, clava pharetra, & arcu intento præditum, armatumq; eo gestu ut ingredi videretur: facie tamen in humerum conversa ad numerosam multitudinem, quæ gressum ejus subsequeretur, ad quorum omnium aures catenæ singulæ aureæ adjectæ essent, quæ mox in unum quasi nodum collectæ, in perforatam Herois, blando mansuetoque gestu hilarem ipsosque cæcus hominum ita catenis tractos sponte properare, quasi alius alium prævenire concertarent. Quod quidem, sive Gallorum fuit inventum, sive Lucianus ipse, qui rem conscripsit, qua erat ingenii felicitate, fabulam ex se commentus est, nihil meo judicio

E e e

c i o